B. N. C
FIRENZE
1067
31

1067. 31



EDITIO
Scriptorum Posthumorum
JOH. HENRICI OTTII,
In Annales
CÆSARIS BARONII CARDINALIS,
Epistolâ Responsoriâ,


Ad Veterem Authoris Amicum,


Exposita



Per

Joh. Baptistam Ottium *Auth. F.*





Celeberrime Vir,

QUum diu apud me dubius hærerem, utrum iteratæ tuæ petitioni de editione Scriptorum Posthumorum Parentis mei, in Annales Cæsaris Baronii, Cardinalis, responso privato satisfacerem: id tandem consilii capiendum arbitratus sum, ut literis publicis de universo isthoc negotio fusius Te instruerem. Invitârunt me, ut ita facerem, etiam aliorum Amicorum literæ, quibus si singulis respondere vellem, idem mihi argumentum ad singulos repetendum toties foret. Spero itaque, me hac unâ fideliâ Tuæ primùm, deinde etiam illorum petitioni satisfacturum

Miraris Scripta hæc tam diu latere, causam inquiris, consilium impertiris, auxilium polliceris; sanè ultra, quàm sperare liceret, vel petere deceret, benevolum Tuum in hoc negotio animum perspectum mihi penitus reddis: Ut itaque singula Tibi aperiam, luculentissimam Operis atque Propositi descriptionem Tibi dare animus est.

Nôsti jam dudum, *Clarissime Vir*, tum ex literis defuncti Patris, tum ex meis ipsis, quanto cum labore, quantis sumtibus, & quàm indefesso studio ille triginta Annorum spatio circa Baronii Annales desudârit: Postquam enim semel animum induxisset parum fidum Narratorem istum rerum Ecclesiasticarum in iis, in quibus à veritate deviare

videbatur, castigare, id unicè, quantum per alias occupationes licuit, egit, ut tantæ molis Opus ad finem vivens perduceret. Non ignorabat, impeditum Opus se aggredi, atque totius vitæ laborem; verùm hoc ipso rem Deo acceptam, Ecclesiæ utilem, bonísque omnibus gratam se facturum arbitrabatur. Non latebat eum, Casaubonum, Blondellum, Magendeum, Spanhemium, Molinæum, Tribbechovium, Kortholdum, Krebsium, alióque magno numero Viros Eruditissimos Baronii Errores & nævos crassiores notâsse, sed simul observabat, neminem ex iis pede presso Authoris vestigia ad calcem persecutum. Non erat nescius, quòd Baronius ad laborem istum perficiendum omnibus necessariis rebus instructus fuerit, libris, Bibliothecis, Manuscriptis rarioribus, Doctoribus & Amanuensibus suffultus, quódque fœtum istum suum appellet talem, *quem concepit adolescentia, formavit juventus, firmavit consilio firmior ætas, tandémque pepererit ultima senectus*; Quòd verò ipse accederet, neque tot librorum copiâ, neque Amanuensium auxilio, neque aliorum Munificentia instructus: Sed simul in animo secum versabat, veritatis vim eam esse, ut totaliunde petitis fulcris opus minimé habeat, & quamvis multa veræ Antiquitatis monumenta in Vaticana, atque aliis Bibliothecis sepulta & ad æternas tenebras damnata jaceant (unde Lucas Holstenius, Bibliothecarius Vaticanus millenarum fraudum Baronium, si opus esset, arguere se posse asserebat *) ea tamen, quæ nulla temporum injuria, nec adversariorum rabies é medio

dio

* Lettr. Chois. de Guy Patin, p. 275.

dio tollere potuit, sufficere, ad obstruendum os illis, qui plerumque paleas mundo obtrudunt. Eum igitur in finem magnis sumtibus collegit libros, quos ad istud propositum maximè necessarios existimabat: Animum etiam ipsi addidit patens ad illustrem publicam Tigurinorum Bibliothecam aditus, unde velut è penu quopiam deprompsit ea, quæ ad Historiarum Ecclesiasticarum illustrationem facientia illic asservantur. Ad hæc insuper accessit stimulus quamplurimorum Clarissimorum Virorum, qui quotidie ipsum ad perficiendum istum laborem incitârunt, & ut olim Guilielmus Laudus Celeberrimum Vossium ad refutandum Baronium instigabat, nullásque *sine stimulo* suscipiendi illius Operis literas à se expectari debere dicebat; ita profectò tot amicorum solicitationes, cujus rei testes voco literas crebriores, quas sacras penes me conservo, Tuæ cumprimis, *Clarissime Vir*, conatum conficiendi Operis auxerant, quod tandem, Deo clementer annuente, prima vice circa finem Anni Millesimi, Sexcentesimi, Septuagesimi Secundi absolvit. Postquam autem Operis mole nimium fatigatus vix paulum respirâsset, illicò ad secundam curam se accinxit, quâ ad finem etiam perductâ, tertiam, inde quartam in se curam suscepit, sicque continuò novis observationibus historiam auxit, porróque aucturus, nisi morte, quæ anni Millesimi, Sexcentesimi, Octuagesimi Secundi mense Majo ipsum ad beatas sedes transtulit, præventus fuisset.

Vidisti duobus ab hinc lustris illius specimen, Tres videlicet priores Centurias in lucem editas, ex tertia cura seu revisione, ut ita loqui liceat: contra quas Ill. S. R. J. P. *Augustinus Redingius*, Monasterii Einsid-

lensis Abbas, jussu Papæ Innocentii XI. insurrexit, *quòd vereretur, ne simplicium animi (ut sunt heretici ad incautos decipiendos subdoli & parati) in errorem aliquem cum salutis æternæ dispendio inducantur*, quemadmodum Alderanus Cybo, Cardinalis, literis ad Abbatem Pontificis nomine datis scribit. Eò autem iste Baronii Vindex processit, ut adversus primam Centuriam magnum Volumen in Folio corraserit, & more suo non rationum pondere, sed chartarum mole in aciem prodierit, quare exiguo Tractatu, qui Appendicis instar ad finem primæ Centuriæ adjici potest, Parens p. m. Vindicias illas refutavit, qui Tractatus impressus est Anno 1681.

Ex me verò sciscitaris, quid causæ obstiterit, quò minus reliquæ Centuriæ lucem hactenus viderint? aut ubi illæ in hunc usque diem latitârint? Rem paucis accipe: Convenerat Author cum Typographo inire partem sumtuum imprimendorum trium priorum Seculorum, sancitis in utramque partem conditionibus: Impresso Opere, Typographus morbo, aliisque causis impeditus, universum onus in Patrem devolvit, quod non sine molestia ferens, quum de edenda Operis continuatione solicitus esset & anxius, ipse tandem diem suum obiit. En Tibi, *Clarissime Vir*, apertissimam causam tam diu dilatæ continuationis istorum Scriptorum; hæc obstabant, quò minus apud eundem edi possent posteriora Scripta, apud exteros autem ut hoc fieret, quemadmodum plurimorum mens erat & consilium, hæc impediebant, tum quòd tria priora Secula chartæ minus eleganti essent impressa, adeóque posteriorum splendidiorem editionem non parum obscurarent, tum

etiam,

etiam, quòd propter manum, sive characterem, ut vocant, Authoris, variásq; scriptis illius additas hinc inde observationes, me ipsum Editioni & correctioni Operis necessariò interesse oporteat, quod sine magnis sumtibus, majore autem impedimento alibi nullatenus fieri posse optimè nôsti. Spe igitur in me Adolescentem collocatâ, ne Opus aut universum, aut ex parte describeretur, aut ante certam impressionem aliò communicaretur, testamento severè præcavit: Itaque inde ab ipsius obitu Scripta hæc latebant, me impedito, ne celeriùs negotium urgerem, tum ætate, tum severiore Patris voluntate, donec videlicet commodior magísque secura emittendi Operis constaret ratio.

Quando verò nunc aditus mihi liberior patet, atq; *Petrus Zieglerus*, nostras negotii hujus conficiendi opportunâ occasione Consilium certis conditionibus cepit, illud Tibi, *Clarissime Vir*, ut & aliis Historiæ Ecclesiasticæ amantibus significandum duxi, ut conditionibus illis cognitis, rem Tuo auxilio adjuvare melius posses. Prius autem de ipsius Operis scopo, ratione & magnitudine quædam non tam Tibi, quàm iis, quibus Operis ratio nondum constat, dicenda censeo, tum etiam Editoris Conditiones enarrare.

Examen igitur istud in Annales Cæsaris Baronii, Cardinalis, ad finem ab Authore, uti jam dixi, perductum, ac singulis ad quamvis Centuriam, non tantùm indicibus sed & præfationibus, quarum quævis singulare aliquod Argumentum, puta de Conciliis, Patribus, Hæreticis &c pertractat, instructum est: Scopus Authoris duplex potissimùm est: prior

quidem Baronium confutare, ejúſque fraudes atque imposturas liquidò demonſtrare; alter verò ſimul hiſtoriam Eccleſiaſticam juxta annorum computum promere, & veræ Antiquitatis ſtudioſis puros fontes & exactam Hiſtoriam ſuppeditare: atque ut iſte Authoris ſcopus tantò melius percipiatur, ad ea quæ ſequuntur probè attendi velim.

Univerſum iſtud Examen tractatur juxta ſingulos annos, Anno nempe Chriſti, Imperatoris, Papæ, Coſſ. Romm. adſcripto: Annales enim à nuda, libera & fortè confuſa rerum narratione longè differunt, propter operoſam ſingularum rerum ſupputationem, quæ ſanè magnam utilitatem habet, inde ſiquidem ſæpiſſimè adverſariorum imposturæ, origines & authores novitatum diſcuntur; Annalium ope omnia ad Sedem propriam referri queunt, ut melior magíſque proficua ſit iſta Tractatio, quàm illa quæ fit per locos Communes, prout Celeberrimus in Anglia Molinæus Baronium olim aggredi conatus eſt, locorum enim Communium vicem Indices in quodvis Seculum abſolutiſſimi ſupplent, ut juxta ſingula Secula quævis alicujus momenti materia pertractari & deduci queat.

Deſcribuntur in Opere iſthoc Imperatorum, Paparum, Patriarcharum, aliarum Sedium præcipuarum, Regum, Rerumpublicarum, Patrum, Scriptorum Eccleſiaſticorum, Dogmatum, imprimis rituum diſcrepantium & liberorum res; In lucem ponitur Orientalium atque Occidentalium Eccleſiarum libertas; defenditur Magiſtratuum poteſtas atque Juriſdictio; Recenſentur Perſecutiones, Gentium Converſiones & alia ſimilia; Tractantur cummaximè De-

Decretales & Decreta Paparum, præcipuè autem CONCILIA eorúmque Acta & Decreta seu CANONES, Convocationes, Præsides, Synodici, confirmantes vel infirmantes; conferuntur Codices plures, Parisini cumprimis (Edition. 1644. & seqq.) quos Author totos exhausit; Canones, qui extant in Codice universali aut aliis memorabilibus integri dantur; Intentus pro viribus Author fuit ad periodos, rerum vicissitudines, inventiones, Ordines Ecclesiasticos, electiones, investituras, exemptiones, Viros Apostolicos, Legatos & invasiones Papales &c. Magno studio posteriora Secula depinguntur, ad mirandi eorum temporum eventus & plerísque incogniti enodantur: Pipini, Caroli M. gesta discutiuntur; Waldensium, Albigensium, aliorúmq; Veritatis Testium acta examinantur, Ecclesiæ Græcæ à Latina discrepantia & prætenta illi subjectio expenditur.

Ne autem in infinitum Opus excresceret, paucísque Voluminibus ingens ista Baronii Duodecim Tomorum moles retundi posset, Authores varii magnâ copiâ citantur, de quo negotio Te, *Clarissime Vir*, omnésque benevolos Lectores in specie monendos esse censeo, propterea quòd istud ab eruditis aliquot Viris Authori in editione trium priorum Seculorum vitio verti animadversum sit: Observandum itaque primùm, istas citationes Lectori nullatenus molestas, vel in lectione Operis tædio aut impedimento esse posse, quia non textui immiscentur, sed ad finem paginarum referuntur; deinde, citationes adesse triplices. 1. Primas, Authenticas & Originales. 2. Hodiernorum Pontificiorum, Approbatorum cumprimis & Privilegiatorum, 3. Nostrorum qui de iisdem

materiis scripserunt. Primi Ordinis citationes Authenticas & Originales, Patres videlicet, Concilia, Codices, Decreta, Scriptores etiam mediæ ætatis Author evolvit, & ut eorum post tria priora Secula uberior seges est, ita ex primis Seculis de hoc argumento difficilius judicari potest. Arbitrabatur autem pro secundo ordine non immeritò allegandos etiam Pontificios modernos, qui cum nostris in multis consentiunt, Baronium castigant, jugulum causæ petunt, alii astu sinceritatem fingunt & abusus aliquos confitentur, qualem hodie videmus Meldensem Episcopum, alii sincerô animô & stimulô conscientiæ moti, in hoc vel illo articulo veræ Antiquitatis monumenta nobis detegunt & promunt. Nostros tandem magno numero subjecit testes, non ut architectonicos & fundamentales, sed loco subsidiorum, ut ita Sedes loci ostenderet, nostríque ampliorem materiam haberent eorum, quæ ille succinctè tractat & subinde nonnisi tangit, quò vice Lexici Historici esse posset iis, qui hanc vel illam in specie materiam tractaturi sunt: Non enim æquè observationum & cogitationum nostrarum fundamento, ac Authoritatum pondere stat Historia, neque aliorum Observationes pro suis suppressô nomine venditare æqui Viri esse Author existimabat.

In eam magnitudinem universum Opus extenditur, ut contineat folia sive schedas septingentas, unà cum Præfationibus atque Indicibus, formæ majori in Quarto, ut vocant, imprimendas.

Distributio autem ejus duplex institui poterit: Altera pro iis, qui crassiora Volumina amant, quales sunt Germani, altera verò pro iis, quibus tenuiora,

tan-

tanquam magis commoda placent, quales sunt Galli & alii. Qui spissiora & crassa Volumina amant, dividere universum Opus poterunt in quatuor Tomos.

Primus Tomus continebit Seculum primum, Vindicias Seculi primi adversus Abbatem Einsidlensem, Seculum secundum & tertium.

Secundus Tomus continebit Seculum Quartum & Quintum.

Tertius Tomus continebit Seculum VI. VII. & VIII.

Quartus Tomus continebit Seculum IX. X. XI. & XII.

Quòd si verò quispiam elegantiæ ergò tenuiora Volumina amaverit, Opus in VII. Tomos sive ligaturas hoc modo dispescere poterit.

Primus Tomus continebit Seculum Primum & ipsius Vindicias.

Secundus Tomus Seculum secundum & tertium.

Tertius Tomus Seculum quartum.

Quartus Tomus Seculum quintum.

Quintus Tomus Seculum sextum & septimum.

Sextus Tomus Seculum octavum & nonum.

Septimus Tomus Seculum decimum, undecimum & duodecimum.

Sin alia cuivis dispositio adlibuerit, illud ex ipsius arbitrio fieri poterit.

Ista *Clarissime Vir*, est Operis brevis delineatio, quod Deo annuente & adjuvante in lucem edere dictus *Petrus Zieglerus*, in animo habet: Quandoquidem autem pretium impressionis aliquot florenorum millibus constabit, consultum, atque è re sua & Eruditorum fore judicavit, tum ut sumtus

pau-

paulum allevare, tum ut minore & æquiore pretio emtoribus illud exhibere possit, si prius justum aliquem Fautorum numerum inquireret, qui inscriptione chirographi sui testificarentur, se ejus Operis unum aut plura Exemplaria justo pretio emturos, ut ea ratione ipse Editor majore fiducia & alacritate ad sumtus in Opus istud impendendos incenderetur: Quò igitur Fautoribus & Amicis totius negotii ratio constaret, has conditiones Editor vult esse notas.

1. Imprimendum esse Opus in forma quarta majore, charta nitidiore & magis eleganti, quàm tria priora Secula, decennio ab hinc edita extant.

2. Opus semel cœptum (quum nempe justus Eruditorum numerus fidem suam obstrinxerit) ad finem sine mora perducendum, idque spatiô unius anni cum dimidio, vel ut de certissimo & haud dubio termino constet, intra spatium duorum annorum, quo tempore dictus Editor, ceu Vir bonæ fidei in se recipit Opus hoc absoluturum, nisi adeò sontica inter cedant impedimenta, ex quibus ipsi DD. Signatores judicare possent, colophonem eo temporis spatio labori imponi nullo modo potuisse.

3. Qui se librum istum emturos chirographo suo signaturi sunt, nomina sua aut ipsi Editori *Petro Zieglero*, *Bibliop. Tigurino*, aut quos locorum distantia impedit, sequentibus Bibliopolis dare poterunt.

In Germania.

In Italia.

In Belgio.

In Anglia.

In Gallia.

apud

apud quos omnes Opus iſtud reperire erit, quorúm-que operâ etiam aliis & Bibliopolis & Viris Doctis innoteſcet.

4. Exhibito primo impreſſionis cœptæ folio Signatores dictis Bibliopolis expendent Thalerum ſive, ut alii eum appellant, Imperialem, abſolutis duobus Tomis, Seculis nempe quinque prioribus, expendent rurſus Thalerum, exhibitis autem duobus Tomis poſterioribus, erogabunt tres Thaleros, ita ut univerſum Opus DD. Signatoribus pretio quinque Thalerorum ſit conſtiturum, Tomos autem quatuor, quorûm quivis minimùm ſex Alphabetha continebit, ſit habiturum, uti de eo jam ſupra monuimus.

5. Quum verò tria priora Secula, decennio ab hinc edita in plurimorum Eruditorum Virorum Bibliothecis jam extent, atque in univerſam Europam fuerint diſtracta, Editor pollicetur, iis, qui priore Tomô jam inſtructi ſunt, iisdem conditionibus, ſi ſignaverint, poſteriores Tomos divendere, ut videlicet primo folio quarti Seculi accepto exhibeant Semi-Thalerum, Tomô ſecundô & tertiô totô accepto, expendant Thalerum cum dimidio, quarto tandem Tomô exhibitô & Operę integro accepto adhuc duos Thaleros exponant, ita ut illis, qui priora Secula jam habent, reliquum Opus trium Voluminum majorum nonniſi quatuor Thaleris ſit conſtiturum.

6. Haſce Conditiones Editor proponit nonniſi illis, qui ante impreſſionem ſignaturi ſunt, poſt abſolutam editionem Opus integrum majore pretiô divenditurus.

7. Qui ſibi ſignaverit XX. Exemplaria, ad animan-

mandum Editorem, illi superpondii loco unum Exemplar addetur.

8. Hisce Conditionibus bonâ fide servandis Petrus Zieglerus se obligat, sub ea cautela, quæ DD. Signatoribus congrua visa fuerit.

Ecce, *Clarissime Vir*, delineationem non tantùm Operis adversus Baronium ad calcem perducti, adeóque perfecti & consummati, sed etiam propositi illius, qui illud in lucem emittere se accingit: Quòd si etiam Bzovii, amplissimi Baronii continuatoris, aliorúmque, qui in eodem labore desudârunt, Examen desideretur, id aliquando, si Deo visum fuerit, facilè ex Miscellaneis Posthumis ipsius Authoris, præter ea, quæ alii Viri Excellentissimi de Reformationis Seculo, ejúsque antecedentibus & consequentibus scripserunt, brevi aliquâ epitome exhiberi poterit. Tu verò, *Celeberrime Vir*, effectum datum tandem aliquando vides, cujus Tu jam dudum Author extitisti, consilium: Illud si Authoritate Tuâ atque commendatione porrò comprobaveris, vestrísque cumprimis Academiis, ubi hæc studia, heu nimium diu sepulta! reflorescere incipiunt, insinuare non dedignatus fueris, eximii studiorum Patroni & sinceri officium Amici præstabis. Quod superest, illud unum fini harum literarum, quod & Te latere minimè potest, adjicio, toties, totiésque in Votis habuisse Authorem, eúmque unicum sibi propofuisse laboris hujus scopum, ut Opus istud in Dei gloriam, Ecclesiæ emolumentum, Veritatis fulcimentum, Errorum dissipationem, tot aberrantium, miseréque seductorum in gremium veræ Apostoli-

co-

eo-Catholicæ Ecclesiæ reductionem, piorumque omnium salutem unicè faciat: Hunc scopum ut Author etiam post obitum assequatur, Tu mecum votis & precibus à Deo omnis veritatis unicâ luce contendito, hoc si feceris, nulla ratione meliùs benevolentiam Patri, dum viveret, testatam hæreditario quasi affectu in me derivabis, meum autem in Te obsequium & confirmabis & augebis. Ita Te Deus Ecclesiæ bonisque omnibus diutissimè conservet incolumem! Vale.

Dabam Tiguri ipsis Idibus Martii Anno Æræ Christianæ M DC LXXXVII.

Celeberrimi Nominis Tui

Cultor Perpetuus,

Z 1064
31

Joh. Baptista Ottius.

88 958155

Mc